

Cl. 168.

20

III 40202 2

Ve

372

DISPUTATIONUM JURIDICARUM  
PRIMA  
DE CAPITIBUS  
QUIBUSDAM JURIS ROMANI  
SELECTIONIBUS,  
JURE SAXONICO ELECTORALI  
ABROGATIS,  
QUAM  
CONSENSU  
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS  
SUB PRÆSIDIO  
DN. FRIDER. ALEXANDRI KÜNHOLDI  
PHIL. ET J. V. D.  
PRÆCEPTORIS SUI AFFECTU PROLIXO PROSEQUENDI  
IN AUDITORIO ICTORUM  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTIT  
HENRICUS GOTHOFREDUS Jäger  
GOTHANUS.

---

AD D. XXI. FEBR. M DCC XXI.

---

LIPSIÆ  
LITERIS IMMANUELIS TITIL.



INSTITUTIONUM JURIDICARUM  
PRIMA

DE CAPITIBUS

QUIRISDAM JURIS ROMANI

SELECTIORIBUS

JURE SAXONICO ELECTORALI

ABROGATIS

QUAM

CONSENSU

MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS

SUB PRASIDIO

DM. FRIDER. ALEXANDRI KÜNHOLDI

PHIL. ET I. D.

PRÆCEPTORIS SUI AFFECTU PROPTER PROSEQUENDI

IN AUDITORIO ICTORUM

PUBLICO ERUDITIONUM EXAMINI

SUBMITTIT

HENRICUS GOTHORFEDUS

GOTHANUS

NO. D. XVI. FEBR. MDCCXXI

LIT. 2142

LITERIS IMMANUELIS TITM





## PRÆFATIO.



Um Jurisprudencia nostra sefe longe latius, accessione tot legum, constitutarum, atque receptorum locupletata, extendat, quam Romanorum avo, qui præter leges patrias nil ferme investigare necesse habebant: eo majore labore opus est, ut in tanta rerum, legumque varietate optatum finem nostris temporibus contingere, & solidam jurium cognitionem acquirere queamus. Ante omnia vero necessitas omnibus svadet, qui crudorum studiorum, in judicia, fora, cathedrasque propulsas quisquillas detestantur, ut juris, in quo versantur, præcipue habeant rationem, idque cum aliis legibus in

foris Germanorum receptis sedulo conferant; nisi eandem objurgationem, quam Servio a Quinto Mucio factam narrat POMPONIUS in l. 2. §. 43. ff. de O. J. *turpe esse patricio, & nobili, & causas oranti, jus in quo versaretur, ignorare*, a quibuslibet legum patriarum peritis sustinere velint. Ignorantia Juris Saxonici non solummodo patriciis, & nobilibus, & causas orantibus, i. e. Advocatis, sed & iudicibus quibuscunque, omnibusque, qui juris peritiam præ se ferre cupiunt, modo Saxoniae cives existant, opprobrio est. Omnes itaque qui, legum Saxonicarum elegantissimum opus aggressi, vario labore publico profuere, laude ornantur perenni: inter quos, CARPZOVIO, BERGERO, MENCKENIO, GRIEBNERO, PHILIPPO, ZIEGLERO, ZOBELIO, viris de Jurisprudencia meritisimis, non postrema jure deberi loca arbitror. Quorum omnium eruditi sudores non omnia exhauserunt, neque, ob humani ingenii imbecillitatem, Themidis Saxonicae templum absolutum, atque exasciatum exstruere, eis vires permisere. Liceat ergo mihi ad perpolitos tantorum virorum labores Symbolas quasdam conferre. Deposcit enim a me docendi, atque disputandi concessa, Doctoralibusque privilegiis munita, licentia, ut, cum non temere profulerim, sed iudicio inclyti Jctorum Lipsientium Ordinis probatus, laborem praesenti disputa-

tatio-

ratione comprehensum in me receperim, hortum legum Saxonicarum amoenissimum, flores fragrantissimos, fructusque sapidissimos decerpendo, mihi, aliisque ingenue sentientibus, commoda feram qualiacunque. Hac vice capita quædam selectiora Juris civilis proferam, eorumque abrogationem Jure Saxonico Electorali factam, ostensurus, usum modernum ingenue summo quasi digito, & per indicem, pro instituti ratione demonstrabo. Sequentur futuris temporibus, si Deus vitam, viresque concesserit, partim solennibus disputationibus ventilanda, partim publicis exercitiis excutienda plura capita Juris Romani Jure Saxonico Electorali abrogata, mutata, declarata.

C A P. I.

De

*Methodo legali jura docendi, discendive  
Jure Romano præscripta, Jure Saxo-  
nico abrogata.*

§. I.

**N**on mihi mens est, longo verborum, & rerum apparatu Jctorum consilia de ratione docendi, & discendi Jura, inter quos

CARPZOVII, LYNCKERI, LEIBNITHII, DUA-  
RENI, MAURITII, WESENBECHII (a) præclara emi-  
nent nomina, examinandi, cumque Justiniani &  
Serenissimorum Saxonum placitis conferendi: vo-  
luminis enim spatium, nequaquam vero arcti dis-  
putationis cancelli, caperent infinitum, diversa sen-  
tientium, examen. Conferam solummodo Justi-  
niani, & Augusti, vere Augusti, præcepta, ubique  
adjectis necessariis animadversionibus.

§. II.

Infelicia quoque veteris Jurisprudentiæ tem-  
pora, quibus docentes, discentesque multitudine  
legum, in spem futuræ oblivionis discendarum,  
obruabantur, sicco pede transibo, cum tam in Cor-  
pore Juris Justiniani, quam ab Antiquitatum Roma-  
narum, Historiæque Juris scriptoribus fuscè tra-  
dantur.

§. III.

Historica ergo præcedat utriusque & Justinia-  
nei, & Augustei Saxonici instituti narratio: sequa-  
tur epiricifis. Præscripserat Justinianus Professori-  
bus legitimæ scientiæ constitutis viam, quam in  
erudienda cupida Legum juventute possint ambu-  
lare, totoque Juris cursui destinaverat quinquen-  
nium,

a) Vid. Biblioth. real. Lipen, qui longum eorum necit Catalog.

nium, cujus spatio Institutiones, Digesta, Codex-  
 que constitutionum imperialium explicanda erant,  
 eo ordine observato, ut scilicet *primo anno* traderen-  
 tur Institutiones, ex omni pene veterum Institutio-  
 num corpore elimata, & ab omnibus turbidis fon-  
 tibus in unum liquidum stagnum conrivata. Et  
 quidem Institutionibus major pars anni assignata  
 erat, reliqua primæ Digestorum parti, quæ *πρῶτος*  
 nuncupatur, servata. *Secundo anno* arbitrio do-  
 centibus relicto, vel de judiciis libros septem, vel  
 de rebus libros octo, accipiebant Auditores, junctis  
 tamen quatuor libris singularibus; ut ex gemino  
 volumine de testamentis uno; & ex septem libris  
 de legatis & fideicommissis, & quæ circa ea sunt,  
 uno tantum libro; ex collectione tripartiti volumi-  
 nis, quod pro dotibus compositum erat, uno libro  
 excerpto; ex duobus autem de tutelis & curationi-  
 bus uno. *Tertii insuper anni* doctrina talem ordi-  
 nem sortiebatur, ut sive libros de judiciis, sive de re-  
 bus secundum vices legere eis sors tulerit, concur-  
 reret liber singularis ad hypothecariam formulam,  
 itemque ad Edictum Ædilium, & de redhibitoria  
 actione, & de evictionibus, nec non duplæ stipula-  
 tione liber singularis. *Quarto autem anno* quarta  
 & quinta pars, secundum septem partium distribu-  
 tionem, animis eorum imponebatur, licentia studi-  
 osis, qui eo anno *λύτραι* appellabantur, concessa, ut  
 par-

partem sextam & septimam Digestorum, quæ in quatuordecim libros compositæ sunt, possent legere, & in judiciis ostendere. *Quinto denique anno* Constitutionum Codicem in succum & sanguinem convertere studerent. Quæ omnia prolixius recensentur in *Const. omnem reipublicæ nostræ sanctionem &c. de conceptione Digestorum ad Tribonianum.*

§. IV.

E contrario Professoribus in Academiis Electoralibus Saxonis, Lipsiensi, atque Witebergensi, jura profitentibus, longe aliam normam præscriptam, & consequenter dispositionem Justiniani hoc in passu abrogatam esse, quis non videt ex collatione mox *alleg. const. omnem reipublicæ &c. cum Ordinat. utriusque Academiæ. Tit. Von der Juristen-Facultät, derselben Professorn, und was ein ieder lesen soll.* Ut vero magis perspicue veritas antea posita mentibus Lectorum meorum sese insinuet, quinque Professorum publicos labores, ad quinquennium etiam, sed longe diversâ a Justiniana methodo, ratione, adstrictos enarrabo. *Primo anno* primo Professori explicanda iungitur materia contractuum præcipue: *Secundo* materia ultimarum voluntatum: *tertio*, Ordinario sc. materia judiciorum ex jure Canonico,  
li-



librisque Decretalium : Quarto cursoria ꝛ. lectio, titulorum commodati, depositi, mandati, pro socio, sequentium que ad materiam contractuum, spectantium, quantum fieri poterit, simulque duobus anni mensibus materiae feudalis secundum titulorum seriem: quinto Institutionum Professori explicatio libri primi Institutionum, librique secundi priorum titulorum novem, usque ad Titulum de Testamentis. *Secundo anno* primo Professori explanandi Tit. Cod. de pactis, & transactionibus, vel praeceptis ex iisdem leges: secundo diversa leges ff. praescriptae: tertio tituli de probationibus, & de testibus ex Decretalibus, adjiciendumque aliquid si fieri possit, ex tit. C. de Edendo: quarto Liber septimus ff. de servitutibus; tituli que de acquirendo rerum dominio, de acquirenda possessione, de Usucap. & reliqui tituli lib. 41. ff. quinto inchoandum a libri secundi Instit. tit. 10. ad lib. 4. tit. 6. de Actionibus exclusive. *Tertio anno* primo Professori incumbit repetitio Tituli ff. de verb. oblig. secundo tit. C. de Liberis praeteritis, de impub. & aliis substit. & de inoff. Testam. vel ex iis praecipuae leges enucleandae: tertio tit. ff. de sent. & re jud. & effect. sent. quarto Libri 26. ff. materiae ad Tutelam spectantis; exque lib. ff. 34. materia interdictorum, sequentesque ejusdem libri tituli: quinto a tit. 6. lib. 4. Inst. ad finem usque continuandum. *Quarto anno*, primus quasdam leges Codicis l. c.

B

nomi-

nominatas tractet. secundus titulum de Leg. I. tertius Titulum Decretalium de Appellationibus, ex que tit ff. de operis novi nunciacione quædam repetat: quartus librum 4. ff & ex lib. 39. tit. de donat. & de donat. causa mortis, & lib. 49. de Fidejussoribus, de Novationibus, de solutionibus, de acceptilationibus, ibique sequentes titulos: quintus cum triennio absolverit Institutiones Imperiales, novam earum doctrinam incipiat eodem modo, uti supra traditum est, continuaturus. *Quinto anno* primus quasdam leges contractuum, culpæque materiam tangentes: secundus titulum Cod. qui admitti ad bonorum possessionem possunt, & intra quod tempus, sequentesque ad titulum de collationibus inclusive: tertius tit. de causa possession. & propriet., de restit. spoliat. & materiam C. redintegrandæ absolvat. quartus tit. de adimendis, vel transferendis legatis, de rebus dubiis, omnesque sequentes libri 34. titulos, ex libro 35. quoque tit. de condit. & demonstrat., sequentesque pro arbitrio: quintus eadem doceat, quæ anno secundo ipsi præscripta erant.

§. V.

De utraque jura tractandi methodo mentem paucis exponam. Justinianeam, quam §. 3. enarravi, ævo Justiniano relinquo, nostris temporibus parum proficiam. Uti enim in præfatione mo-

nui, non sufficit praesenti tempore jura Romana didicisse, sed alias quoque leges, Canonicas, feudales, provinciales addas necesse est. Quantum ergo temporis spatium hodie absumeret Jurisprudentiae studium, si juri Romano quinquennium daretur? decennium certe non sufficeret tanto labori exantlando. Hinc alio studiorum ordine opus esse arbitror, nisi operam & oleum, tempus, impensasque perdere, & mancam, atque hiulcam rerum necessariorum cognitionem relinquere velis.

§. VI.

Propius ad usum modernum accedere mihi videtur Serenissimi Augusti intentio, legalisque dispositio §. 4to enarrata. Praecipue, si a secundo Augusto nostro potentissimo, Clementissimo, prioribus quinque Juris Professoribus tres adhuc, Professorem sc. Juris Saxonici communis, & Electoralis, Professorem Jur. Feud. communis & Saxon. Professorem denique Juris Nat. & Gentium in Academia Lipsiensi adjunctos esse perpendas: quorum doctrina publica defectibus, qui superesse videbantur, medicinam allatam cernimus.

§. VII.

Nec quisquam in erroneam delabatur opinionem, omnibus privatis LL. doctoribus ean-

B 2

dem

dem cum Professoribus publicis docendi normam esse praescriptam. Silent enim hoc in passu Leges Saxonica, uniuscujusque potius conscientia relinquendum est, qua ratione discentium commoda promovere, eosque aptos, quibus aliquando reipublicae gubernacula, causarum forensium decisio, erudiendique juvenes credi possint, reddere valeat.

§. VIII.

Tutissima via incedent docentes discentesque, & quidem docentes, si examen serium instituant, antequam temerario interdum conatu, conglameratarum opinionum, confusarumque idearum multitudinem adolescentibus communicare, pruritu viruperando audent: discant prius, deinde doceant. Ante omnia vero scrutinium ingeniorum habendum, probeque discernenda ingenia sublimiora a mediocribus, medioeria a stupiditate quadam laborantibus. Cum enim alii magis inveniendi, alii retinendi, alii discernendi, dijudicandive facultate praereliquis polleant, quemlibet prudenter metiatur suo pede, suoque modulo, quae imprimis lectionum privatissimarum, uti vocantur, praerogativa existit. In privatis lectionibus, utut ob ingeniorum diversitatem, non omnes eosdem fructus percipere possint, misceant  
 faci-

facilia, perspicua, difficilioribus, utile dulci. Pietas quoque imprimis mentibus ipsorum altis defixa sit radicibus, religionisque verus non simulatus cultus docentes ornet, sique exemplo virtutis præluendo, eorum quorum studia promovere cupiunt, eruditionem certissime augebunt quotidie. Sana sobriaque Philosophia plane carere non possunt, qua de re *peculiari Dissertatione philosophica, quam Semicenturiam comparationis, veræ, atque simulatæ Jctorum Philosophiæ appellaveram*, ante biennium a me actum est. Caveant vero sibi ab isto Philosophorum genere, qui in umbra & pulvere philosophantur, quique magno labore desipere discunt. (a) Deinceps elegantiorum literarum, Historiæ, & Legum naturalium, Juris privati, atque publici notitia instructi, & Theologiæ veræ principiis imbuti ad cupidæ Legum juventutis formationem procedant, quæ, meo quidem iudicio, levissima via suscipi potest, si ab initio rudes, atque infirmi tyronum animi, explicatione perspicua terminorum technicorum, connexionisque generalis & specialis demonstratione, historiæque Juris, & Antiquitatum Romanorum non proluxa, sed compendiosa tractatione, Institutionum Imperialium jucundissima doctrina, quibus

B 5 leges

---

(a) BRANDES de ver. & simulata Jct. philos. in præfatione.

leges selectiores, tituli que digestorum de verborum significatione & de regulis juris addi, eorumque usus insignis ostendi debet, præparentur, postea Juris publici, & historiarum intima viscera aperiantur, & certo dehinc ordine digesta, Jus Canonicum, Feudale atque Saxonicum, quibus sub finem Cursus academici practica jungi possunt collegia, exponantur.

§. IX.

Discentes autem latinarum, græcarumque litterarum peritiam afferant, animosque a superbiæ, ignaviæ, libidinisque morbis liberos ad altiora studia tendentes monstrent: Pravorum pestilentia confortia fugiant. Quod si neglexerint, tempusque studiis destinatum luxu, somno, nihilque agendo perdidierint, imputent sibi, si ad suos plane rudes redeant. Longe distant ab ejusmodi farina discuntibus erectiora ingenia, juvenes in spem patriæ nati, quibus non semper quinquennium præscribendum, sed, pro captus diversitate, vel breviori, vel longiori spatio meta contingenda datur.

§. X.

Priusquam hoc loco discedam, non perperam monitum erit, scrutinium ingeniorum non solum-

solummodo a Professoribus atque cordatis Doctoribus cum uberrimo fructu institui stupidaque subiecta ad aliud vitæ genus eligendum serio commonefieri, sed & a serenissimis Academiæ Nutritoribus majore emolumento Magistratibus præcipi. Cujus rei illustre exemplum ex Mandato Regis Borussia d. 25. Aug. 1708. clementissime dato: (Mandat von Selectu derer zum Studiren tüchtigen Ingeniorum, und von denen so dazü untüchtig) peti potest. Ibi: Zu welchem Ende Seine Königliche Majestät hiermit, und Krafft dieses verordnen, auch zugleich alle und jede Magistraten in Städten ic. auf die Jugend in selbigen fleißig Achtung zu haben, solche selbst zum öfftern zu visitiren, unter den Ingeniis, welche zu den Studiis sich wohl anlassen, und von ihrer Fähigkeit gute Proben geben, einen Selectum zu machen, und diesen zwar in ihren Zweck beförderlich zu seyn, diejenigen aber, welche entweder wegen Stupidität, Trägheit, oder Mangel des Lusts und Triebes, oder auch anderer Ursachen zum studieren unfähig seynd, in Zeiten davon ab, und zu Erlernung einer Manufactur, Handwerks, oder andern redlichen Profession, anzuweisen ic. damit nicht wie es sich wohl zuträgt, Schüler von 20. bis 30. Jahren dem

dem Publico, und ihnen selbst zu Last, und den Informatoribus zur Verkleinerung erfunden werden möge. Conf. Divi Augusti El. Schul-Ordnung t. von den Schulen ingemein §. welche aber. C. S. p. 277. Quæ in supra allegato mandato regio de scholis, earumque reformatione disponuntur, optimo jure etiam ad superiores scholas, quæ academiarum nomine veniunt, spectare, nemo negabit. Certe reipublicæ interest, ne obtusi capitis homines, qui ob defectum ingenii, memoriæ, atque judicii ad res gerendas plane adhiberi neque possunt, neque debent, deceptis interdum superioribus, ad officia, quibus impares sunt, adhibeantur, & justitiæ vulnera, rabularum, imperitorumque judicum partim malitia, partim stupore illata, recipient medelam, stupidioribus adolescentibus, & juvenibus a scholis academiisque remotis.

C A P. II.

*De necessitate Jurisdictionis Romana personalis, Jure Saxonico Electorali abrogata.*

§. I.

**J**urisdictionis doctrinam, nonnulli qui eam explicandam sumserunt, salebrosam, atque adeo difficilem, ut ad veritatem ejus investigan-



gandam veteres Jcti ex inferis revocari necesse sit, nescio quo jure, arbitrati sunt. His difficultatibus non obstantibus valde multos apud *Lipenium*, (a) *Barbiumque* allegatos deprehendes, qui *Labyrinthum* huncce scriptis suis, sæpe numero fideliter descriptis, raro autem solide e laboratis, peragrarunt. Et si dicendum quod res est, nodos in scripto quærunt multi. Jura nostra non omnibus patent, sed iis solummodo, qui judicandi acumine præditi, ea quæ abscondita videbantur, enucleare didicerunt.

§. II.

Apud Romanos, pro diverso reipublicæ statu, diversam quoque potestatem eorum, quibus executio legum, causarumque civilium, & criminalium decisio data erat, extitisse, leges antiquæ, & Justinianæ loquuntur. *Reges* enim ab initio civitatis omnem potestatem habuisse constat. Exactis deinde regibus *Consules* constitutos duos, dictos ab eo, quod plurimum Reipublicæ consulerent, quibus summa potestas ob ambitionem adempta, legeque cautum, ut ab eis provocatio  
Cui esset,

a) in Bibl. Jur. real. sub Jurisdic. titulo.

b) Dissert. eleganti de Jurisdic. quam personæ illustres, & nobiles per officiales exercere solent. §. 1. 2. sqq.

esset, neve possent in caput civis Romani animadvertere injussu populi. Post deinde populo aucto *Censores* præponebantur. Hos infecuti *Dictatores* magni in bello, majores pacis temporibus, non limitata *summa* potestate ipsis concessa, a quibus, nec provocari jus esset, quosque ob tantam licentiam non erat fas ultra sextum mensem retinere. Reliquos Magistratus, eorumque officia narrat POMPONIUS in l. 2. ff. d. O. I. cui & historica antecedentium recensio debetur.

§. III.

Cum itaque ad personas solummodo adstricta esset apud Romanos jurisdictio, sive statum Reipublicæ Regium spectes, sive popularem, sive Monarchicum, per necessariam consequentiam omnis excludebatur Jurisdictio, quam hodie *patrimonialem*, sive *realem* vocamus. Quam Jurisdictionis Romanæ *personalis* necessitatem Jure Saxonico Electorali abrogatam esse demonstrabo.

§. IV.

Suppono Divisiones Jurisdictionis, Romanis usitatae plures, ipsiusque memoratae Jurisdictionis naturam ad Imperii nostri Romano-Germanici formam applicari non posse, & ad hodiernum usum

sum parum spectare. (a) *Hodie* ex omnium ferme Jctorum, legumque amice conspirante consensu, Jurisdictio (b) in summam, sive independentem, (eminentem etiam vocare posses) quæ superioritas territorialis, *Landsherrliche Hoheit*, oder die hohe Landes-Obriegkeit dicitur, & subalternam, sive dependentem, utraque in ecclesiasticam, vel secularem, & *secularis* quidem in inferiorem, & superiorem: (c) in *personalem*, & *realem*, aliasque multas species dispescitur. (c)

§. V.

*Personalis*, atque *patrimonialis* jurisdictionis tractatio solum sibi hic vindicat locum. *Personalis* dicitur omnis potestas juris dicendi, quæ cum persona, illiusque officio extinguitur, hucque omnes Magistratus administratorio nomine locum tenentes referuntur. *Patrimonialis* autem cum ipso Feudo, allodio &c. in hæredes transmittitur, inde sic dicta, quod Jurisdictio nobilium, & illustrium personarum æque ut alia res hodie in bonis esse, certoque pretio æstimari, & in hæredes transmitti solent. Unde veritati maxime consen-

C. 2. tanc-

(a) Vid. Barth. disp. de Jurisd. §. 2.

(b) Magn. Menck. Theor. & pr. 7. p. 61.

O. Berg. Illec. Jur. L. IV. Tit. 3. §. 2.

(c) Barth. diff. alleg. §. 3.

taneam esse iudico eorum sententiam, qui cum *origine Feudorum* origines quoque fuisse patri-  
monialem Jurisdictionem statuunt.

§. VI.

Ut silentio præteream Feuda Regalia, Ele-  
ctoratus, Ducatus, quibus conjuncta deprehendi-  
tur jurisdictio summa: principes imperii utram-  
que jurisditionis speciem realem atque persona-  
lem concedunt: sicque consequenter necessitatem  
Jurisdictionis Romanæ personalis tollunt. Sere-  
nissimi, Saxones Mauritius, atque Augustus in or-  
dinationibus provincialibus de anno 1550. & 1555.  
differentiam hanc expresse constituunt inter juris-  
ditionem superiorem & inferiorem, personalem  
& realem Tit. **Was zu Ober-Nieder- oder Erb-  
Gerichten gehört.** Ubi subsistendum paululum,  
& de hac divisione videndum, an jurisdictio in-  
ferior, **die Nieder-Gerichte, und Erb-Gerichte**  
pro synonymis habenda, quod affirmandum, salva  
tamen superiori jurisdictione, quæ cum inferiori  
conjuncta sine sexus differentia omnibus, etiam  
fœminis qui cum feudis eam acquisiverunt, com-  
municatur: cum hæc jurisdictio prædio coharere  
soleat, ut proinde nullum sit dubium, quoties  
ad fœminas devolvitur feudorum successio, toties  
ple-

plenissimum jurisdictionis exercitium tam in civi-  
libus, quam criminalibus ad eas pervenire. a) Caveant autem jurisdictione investiti ne concessa potestate male utantur: memores abusu gravi amitti posse jurisdictionem a. c. 24. X. de privil. c) Observent quoque legem sibi a Serenissimo Joh. Georgio scriptam, verbis: und versehen wir uns auch hiermit befehlende, es werden, und wollen andere, die von uns mit Gerichten beliehen, oder dieselben in Übung haben, sich ebenmäßig ihrer Gebühr und Schuldigkeit erinnern, und nicht allein solche Gerichte mit ehrlichen, aufrichtigen, unbescholtenen, untradelhaftigen, und nach jedes Orts Gelegenheit qualificirten, auch darzu sonderlich geschwornen Personen besetzen, sondern auch denselben einen tüchtigen und geschickten Notarium der den Proceß, und andere vorfallende Gerichts-Sachen legaliter dirigiren könne, zuordnen &c.

§. VII.

Differentias utriusque jurisdictionis personalis & realis examinare ordinis ratio non permittit. Sufficiat me quasi in transitu quadam delibaf-

C 3

se,

- a) CARPZOV. de jur. fecm. singul. decad. 9. pos. 1. n. 34.  
b) Vid. SCHOEPFER. Synop. jur. priv. 2. T. 1. §. 37.  
c) in Ordin. proc. Tit. 2. von den Gerichts-Secretarien, &c.

se, quæ doctrinæ huic jucundissimæ interfervire possunt. Coronidis loco annotandum esse censui in controversiis, quæ de jurisdictione patrimoniali moventur, literas investituræ, earumque verba & sensum bene esse inspicienda. Elegans responsum hæc de re extat in *Decisionibus Ludovellianis Dec. 69.* Nobiles de Stopler jurisdictioni suæ subjectam contendebant villam, & imprimis victoriam ex eo capite sibi pollicebantur, quia villa in meditullio jurisdictionis ipsorum sita esset, quæ omnia ob contraria investituræ literarum verba, corruerant. a)

T A N T U M.

a) Videntur non abs re in allegata decisione nobiles urgere, verb: Nun bemühen sich zwar besagte von Stopler sehr die affirmativam, und also ihre angemessene Jurisdiction, und Botmäßigkeit zu behaupten: und solches theils durch angegebene und verhörte Zeugen, theils durch verschiedene Documenta &c. theils auch per situm loci, weil der Meyerhof fast mitten im Dorffe liege, und also gleich andern Häusern der Jurisdiction unterworfen seyn müsse &c. Allein wenn man das instrumentum investituræ etwas genauer betrachtet, so wird sich das widrige, und so viel finden, daß die von Stopler auf diesen Meyerhof ganz keine Jurisdiction, oder Botmäßigkeit zu pretendiren, &c. Quæ omnia ex literarum investituræ verbis, rationibus solidis demonstrata sunt.

NOBILISSIMO ATQUE POLITISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

P R Æ S E S.

*D*ulcedine studiorum allectus, superiore anno Lipsiam nostram, jussu Excellentissimi Dni Parentis accesseras eo fine, ut armatus legibus, aliisque amœnorum literarum ornamentis decoratus, patria aliquando in partibus ejus Tibi credendis, redderes civem proficuum. Conjunxit nos communis patria, communeque studiorum genus, arctioribus vero vinculis constrinxit Excellentissimi Parentis favor, tot signis declaratus, amor denique Tuus singularis, & in doctrinam meam posita fiducia: quæ omnia magis, magisque ad labores indefessos incenderunt animum. Qualem Te præstiteris, & quanta cura, quanto labore prima Juris, Sophiæque

X 22979 B

esque praecognitamenti impresseris, loque-  
tur defensio disputationis nostra, qua o-  
mnium de virtute Tua opinionem auge-  
bit mirifice. Intrepide ergo ascende ca-  
thedram, Et in togata hac militia strenu-  
um Te exhibe concertatorem. Arma  
postulas? scio Tibi non deesse: sc. lingua  
erudite, artisque disputatoria noti-  
tiam.


Vestigia preme sequentibus annis  
Parentum optimorum, quorum merita,  
atque virtutes ad imitationem maximo  
erunt incitamento. Sic certissimum ad  
gloria templum sternetur iter, me-  
que amare non de-  
sistes.



M. S.







CK.168. 20

III 40202 2

Ve  
372

DISPUTATIONUM JURIDICARUM  
PRIMA  
DE CAPITIBUS  
QUIBUSDAM JURIS ROMANI  
SELECTIORIBUS,  
JURE SAXONICO ELECTORALI  
ABROGATIS,  
QUAM  
SENSU  
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS  
SUB PRÆSIDIO  
DN. FRIDER. ALEXANDRI KÜNHOLDI  
PHIL. ET J. V. D.  
PRÆCEPTORIS SUI AFFECTU PROLIEXO PROSEQUENDI  
IN AUDITORIO ICTORUM  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTIT  
HENRICUS GOTHOFREDUS Jäger  
GOTHANUS.

AD D. XXI. FEBR. MDCC XXI.

LIPSIÆ  
LITERIS IMMANUELIS TITIL.

